Procemium in Philosophiam.

PHILOSOPHIA.

Proœmium.

Philosophia (a graecis vocibus φιλεω amo, et σοφια sapientia) voce tenus idem fere significat, quod amor, sive Studium Sapientiae.

Accurate autem Philosophia est Cognitio seu Scientia Veritatis. Sed idem significat Studium Sapientiae, – subliniori quadam et accomodalitia significatione.

Duo requiruntur: Sapientia et Studium.
Sapientia idem est ac Veritas et Verum, aut certe utrumque praesupponit, et quidem Summum.
Studium autem praesupponit Intellectum sive Rationem, nam Studium circa Sapientiam sive veritatem non peragitur nisi a ratione.
Illa duo igitur: Sapientia et Studium ad haec alia duo reducantur: Verum et Rationem.

Philosophia itaque est Relatio aliqua, et certe Conjunctio Rationis cum Vero et Veritate.

Aut potius in Veritate; nam haec ipsa Conjunctio Rationis cum Vero est Veritas.

2. Duplici modo considerari potest Conjunctio Rationis cum Vero: in fieri scilicet (quando adhuc peragitur), et in facto esse (dum jam peracta intelligitur).

In prima acceptione Philosophia est Inquisitio Veri a Ratione.

In altera vero est Philosophia: Cognitio Veri. Ibi disciplina (a disco), hic scientia (a Scio).

Poznawanie i poznanie. Uczenie się i Wiedza.
Erkennen und Erkenntniss. Lehre und Wissenschaft.

3. Quid est Verum? Id quod cognoscitur. —

Quid est Ratio? Id quod cognoscit.

Nota contra eos qui dicunt idem esse Rationem et Verum (Cogitationem et Existentiam) haec inter se toto genere differre, sicut activum a passivo.

4. Quid autem cognoscitur?

a) Id quod est (τὸ ὄν);

b) quodque modo aliquo se revelat, id est: se cognoscendum praebet.

Verum itaque pressius definiri potest: Id quod est, quodque modo aliquo se revelat, ut cognoscatur.

5. Quid autem cognoscit?

a) Quod apprehendit id quod est (τὸ ὄν), scilicet Verum.

b) apprehendit autem in quantum illud se manifestat ad cognoscendum.

Ratio itaque pressius definiri potest: Id quod apprehendit illud quod est (τὸ ὄν) in quantum hoc se manifestat ad cognoscendum.

Ex his magis magisque innotescit quid sit Philosophia dum definitur esse Inquisitio aut etiam Scientia Veri.

Hucusque definitio haec communis est et Philosophiae et Theologiae. Nam et Theologia et Studium Sapientiae, et Theologia est Studium circa Verum et Scientia Veri.
Quaenam igitur differentia inter Theologiam ac Philosophiam? Ad hoc animadvertendum.

§ 6. Attamen Verum non uno sed diversis modis se manifestat ad cognoscendum. Inter hos maxime inter se distinguuntur modus naturalis, et modus supernaturalis.

Philosophi non christiani hanc distinctionem minime probant; sed nos hic loci evincere eam diligentius contra ipsos non curabimus. Indicamus tantum hanc distinctionem tironibus; scilicet agimus hic de hac definitione naturalis et supernaturalis in nostra hypothesi (cujus veritatem postea declarabimus), atque ad nostram utilitatem.

Modus naturalis est tunc, quando ex una parte et Objectum cognitionis, et ejus manifestatio, ex altera parte et Ratio et ejus apprehensio limites naturae non excedunt;

supernaturalis autem si omnia haec aut aliquid horum naturam transcendit.

Cognitio Veri hoc ultimo (supernaturali) modo adepta, est et vocatur Fides.

Cognitio Veri naturali modo acquisita est et vocatur Scientia

De utraque Cognitione potest dari Scientia (proinde distinguenda scientia a Cognitione).

Scientia de Vero supernaturali modo adepto, est Theologia.

Dicimus autem quod Verum sit adeptum modo supernaturali, ejusque Cognitio non autem quod Scientia sit hoc modo adepta. Nam semel ac Verum est supernaturaliter consequutum, jam est Objectum circa quod Ratio suas vires exerit, etiam naturales, quale est ratiocinium etc. —

Proinde reliquum est ut Philosophia ultimo dicatur: Scientia de Vero modo naturali acquisito.

§ 7. Quomodo tamen poterit imprimis Modus supernaturalis accuratius definiri; id est quando id fit ut et Objectum ipsum Cognitionis, ejusque manifestatio ex una parte, ex altera vero Rationis apprehensio, limites naturae excedat? —

Objectum Cognitionis excedit limites naturae:

a) quando hoc Objectum habet formam vel ex parte vel ex integro, naturae nostrae minime correspondentem, talem scilicet, quae a nostra communi cognoscendi facultate apprehendi non possit.

Ita v.g. Deus, ex ea parte, non qua ad extra existens et agens sumitur, sed qua ad intra in seipso consideratur.

Ita etiam Angelus qui existat in forma Spirituali, quatenus haec in se ipsa consideratur. Nos non habemus in universa nostra cognoscendi facultate, tale organum ut formam mere spiritualem apprehendere possimus in se ipsa.

b) quando manifestatio hujusmodi Objecti ob hanc maxime causam (quod non habeat formam nostrae naturae correspondentem) fit ex ea parte qua haec objecti forma rationi nostrae impervia est, non per formam propriam, sed per formam adscititiam (phantasmata, signa, Verba etc.), nostris facultatibus accomadatam.

Ita v.g. Deus aut Angelus possunt se manifestare per figuram aliquam luminosam, maxime per Verba aut Symbola.

Haec autem forma adscititia non semper debet immediate innotescere, sed potest ipsa jam mediata etiam per media alia communicari, uti per Scripta et per praedicationem.

— Ex parte vero rationis apprehensio excedit limites naturae similiter:

a) quando ex Verbis aut Signis sibi communicatis ratio non concludit (quia nec potest nec debet concludere) ad aliquam formam, in rerum natura (sibi aliunde nota) existentem; sed simpliciter concludit ad existentiam entis (quod revelatur), quin sibi aliquorum ejus formam effingat, aut sua naturali vi cognoscendi eam sibi aliquando effingendam putet. —

Etenim duplicitur concludere potest ratio ex Verbis et signis sibi communicatis. 1° ad res in rerum natura existentes quarum formas utpote naturales, effingere sibi potest. v.g. ex descriptione alicujus animalis recens detecti (simiae ex gr. Gorillae) ad existentiam effigiemque formae hujusmodi animalis; ex descriptione Urbis Constantonopolitanae ad ipsam Urbem, ejusque in mente imaginem; et haec conclusio et ad rem et ad formam ejus est naturalis; — 2° ad res quae non existunt in rerum natura a nobis nota, quarum formas ex nulla descriptione (effingere sibi valemus, proindeque) concludendo ex Verbis et signis ad existentiam rei, ad formam non possumus concludere v.g. ex operatione Dei, concludimus quidem ad ejus existentiam, sed non ad ejus imaginem aut formam aliquam. Quare conclusio ad existentiam poterit esse naturalis; conclusio tamen ad formam quae nobis verbis manifestationis sive ut in hoc casu Revelationis aliquo modo adumbratur (v.g. Deum existere triplici modo existendi, — unumquemque ex his modis esse veram personam etc). hujusmodi conclusio ad formam talem quae in rebus nobis ex rerum natura cognitis non innotescit, non erit naturalis; et hoc ex ipsa indole conclusionis. Erit enim haec conclusio ad aliquam formam, quae in rerum natura non invenitur, scilicet ad formam supra naturam, erit igitur Conclusio supernaturalis.

[Quod si in hoc dato casu, sc. Trinitatis in Deo, aliqua huic formae similis daretur alia in rerum natura (uti nonnullas S. Augustinus repraesentat in libris de Trinitate) et hoc maxime fundamento Conclusio illa inniteretur, tunc dicenda esset naturalis, ex hac scilicet parte. Quare conclusio omni ex parte supernaturalis ea dicenda sola est quae concludit ad tale objectum cujus nihil simile in rerum natura exhiberi possit. Proindeque]

Conclusiones supernaturales eae maximae ac absolutae dicendae sunt, quae concludunt ad res, quae ex libera voluntate Dei pendent, uti Elevatio naturae humanae, Incarnatio Verbi Divini et caetera similia cum his conjuncta.

b) quando ad hoc etiam ut hanc Conclusionem ratio faciat firmam ac adaequatam non sufficiunt ejus propriae vires, sed requiritur superadditum auxilium gratiae divinae.

Et his distinguendum est, inter superficialem conclusionem, et firmam ac absolutam. Possemus illam dicere mere <u>intellectualem</u>, hanc vero <u>rationalem</u>; quarum vocum postea plenius assequemur significationem.

Superficialis itaque et mere intellectualis Conclusio in rebus supernaturalibus cum revelantur,

v. g. cum revelatur Deus, ut auctor gratiae, semper fit ab intellectu, statim ac ei verba aut signa proponuntur quae per revelationem continent, et hoc fit sine auxilio gratiae internae, quae rationem sublevet eamque roboret. At non ita dicendum est de illa alia Conclusione intima ac firma, quam rationalem diximus, et ad quam ratio ex se ipsa pervenire non potest; sed requiritur auxilium Operationis divinae intus (gratia) corroborans eam.

De hoc argumento plura suo loco.

Et haec est Cognitio supernaturalis et quoad substantiam et simul quoad modum.

De supernaturali quoad modum tantum statim monebimus.

§. 8 Hic modus supernaturalis Cognitionis, dicitur etiam Fides.

Fides dicitur etiam in rebus naturalibus, nempe in illo casu quem jam adduximus, cum ex verbis et signis nobis communicatis concludimus ad ens aliquod, cujus forma in rerum natura existit, quamque sibi ex descriptione eam divinando, quisque effingere potest; ubi ex descriptione Urbis Constantinopolitanae ipsa Urbi etc. — At haec est Fides naturalis, et non est illa quam subintelligimus quum simpliciter Fidem dimus. Haec enim ita simpliciter est Fides supernaturalis.

Fides itaque, ea scilicet omnino supernaturalis, recte definitur, uti jam monuimus, et nunc plenius definimus: Cognitio Veri supra naturam, modo etiam supranaturali acquisita, et tum maxime erit quando ex Verbis et Signis nobis communicatis ratio non agit, ut in rebus naturalibus, ubi concludendo ad existentiam rei concludit etiam ad aliquam formam sibi in rerum natura aliunde notam; sed vero e contra, non concludendo ad ullam imaginem aut formam cujus formae similis alia in hac rerum exteriori natura inveniretur, itemque non concludendo ad factum revelatum aut facti causam, cujus facti vel ejus causae ratio in hoc ordine naturali deprehenderetur, concludit simpliciter ad

ipsam rem tantum, aut ipsum factum vel facti causam quarum existentia est ei revelata.

Haec est Fides supernaturalis quoad substantiam. Quoad modum tunc erit, quando modo supernaturali, et ab auctore supernaturali revelantur nobis res aut facta quae etiam naturaliter cognosci a nobis possent.

§. 9. <u>Modus naturalis</u> Cognitionis, uti diximus, ille est in quo nec Objectum cum sua manifestatione, nec Ratio cum sua apprehensione limites naturae transcendunt.

Quando autem ita fieri censendum est, et quousque tandem hi limites porrigendi?

– Ex parte Objecti et ejus manifestationis:

a) quando Objectum ipsum et maxime ejus forma, aut saltem Objecti Operatio, invenitur in his rebus partemque constituit hujus rerum naturae, aut ex ea deprehendi potest

Haec duo quae diximus: „saltem ejus operatio" „et ex ea (rerum natura) deprehendi potest" – diximus in gratiam cognitionis ipsius Dei, naturali modo adipiscendae. Nam Dei operatio naturalis invenitur in hac rerum natura, aut saltem ex ea deprehendi potest.

b) quando sive forma objecti, sive ejus operatio, aut verba et signa, quibus sive hac forma, sive haec operatio exprimuntur innotescunt nobis modo consueto ac naturali

Hinc si alio, supernaturali, modo haec forma nobis innotesceret, ex hac parte saltem Cognitio esset supernaturalis, scilicet quoad modum. – Ita ex. gr. si Urbem Constantinopolitanam Angelus aut Daemon nobis in phantastica luce representaret spectandam.

Sed et tunc potius esset Cognitio <u>praeternaturalis</u> aut <u>extraordinaria</u>, non stricte supernaturalis. Praeteriret enim <u>consuetum</u> tantum ordinem naturae, non autem omnem ordinem naturae; – Ille enim effectus ex viribus solus naturae possibilis est; Angelus aut Daemon non crearent tunc novas vires, sed iis quae in natura existunt uterentur.

Debet tamen admitti vera definitio inter

<u>supernaturale quoad modum</u>, et <u>supernaturale quoad substantiam</u>; sed de hoc jam diximus et suo loco plura dicemus. Hic loci distinctio hujusmodi parum refert.

Sufficit quod dictum est: ut formae rerum aut earum signa innotescant modo conjuncto et naturali.

— Ex parte Rationis et ejus apprehensionis similiter:

a) quando ratio a forma propria (sive mediate sive immediate, i.e. aut per signa aliqua aut per se ipsam cognita) concludit ad ens proprium; aut ab operatione entis cujus nulla forma propria ipsi sive mediate sive immediate manifestatur, concludit ad simplicem existentiam illius entis cum illis attributis quae in operatione ejus manifestantur.

b) quando fit haec Conclusio (fit autem semper) viribus ipsius rationis.

§. 11. Hic est <u>modus naturalis</u> Cognitionis, qui etiam dicitur <u>Scientia</u>, per oppositionem ad <u>Fidem</u>, quae suum nomen dat Cognitioni supernaturali.

<u>Scientia</u> itaque (naturalis nimirum et per oppositionem ad fidem) recte definitur uti monuimus: <u>Cognitio veri modo naturali acquisiti</u>, et tum maxime erit quando ex verbis et signis ad formas proprias rerum, ex formis autem propriis ad entia propria earumdem ratio concludit; aut etiam quando ex operatione naturali Objecti, quod ceteroquin est supernaturale, ratio concludit ad ejus existentiam et ea attributa quae ex ejus naturali operatione se manifestant. Itaque scientia naturalis in hoc consistit, ut ratio percipiat existentiam rerum in propriis earum formis et de his formis judicare possit sicut sunt in seipsis, per eas autem consequenter de entibus et de integris rebus et hoc quidem cum agitur de rebus naturalibus. Dein vero quae sunt supra naturam, id solum sciat quod in rerum natura ex earum operatione aut similitudine invenire potest.

Distinctio hujusmodi inter naturalem et supernaturalem Cognitionem, atque inter hujusmodi utriusque characteres communi ex calculo probata ac usu trita.

Sed datur alia, intimior hujus rei ratio.

§. 12. Si rem totam penitus perscrutemur, apparebit nobis verior ac intimior ratio hujus distinctionis inter naturalem ac supernaturalem Cognitionem, verioresque etiam ac solidiores characteres utriusque.

Cujus rei gratia considerandum est Verum (quod est Objectum Cognitionis) sumi posse vel impersonaliter, vel etiam personaliter, i.e. alicui personae, summae scilicet ac absolutae ultimo inhaerens.

Hanc rem negant Philosophi non Christiani. Nos hic contra ipsos non agimus, nec statuimus aut tuemur aliquam thesim. Omnino extra controversiam cum ipsis assumpsimus hypothesin. Tota haec dissertatio de distinctione inter naturalem ac supernaturalem Cognitionem hypothetica est, sicut jam monuimus. In limitibus itaque hujus jam semel assumptae hypothesis, melius declarare cupientes distinctionem ejus partium, earumque characterum, ponimus nunc non jam aliam hypothesim, sed omnino thesin, personalitatis scilicet Objecti Cognitionis, i.e. quod Verum non sit existens ut <u>Res absoluta</u>, sed inhaereat <u>Personae absolutae</u>. Profecto, cum semel admissa est distinctio naturalis et supernaturalis Cognitionis, et facta hypothesis ista, jam inter limites hujus hypothesis certitudo est absoluta ac thesis firmissima objectum saltem Cognitionis supernaturalis, sc. Verum saltem supernaturale, inhaerere Deo, sc. personalitati absolutae.

Verum cum impersonaliter sumitur, considerari potest et debet ut res, quae non erit ex se agens (nisi forte eadem ratione qua et omnes aliae res agunt), sed actioni obnoxium, i.e. aliam in se actionem experiens: actionem rationis quae hoc Verum apprehendere studebit.

Nec officit quod Verum etiam impersonaliter, ut res, sumptum, semper tamen inhaereat menti divinae. Hoc non officit, inquam, quominus Verum tractetur ut res a ratione. Nam tunc dicendum est Deum permittere ut Verum ita tractetur imo dicendum Deum allevare rationi negotium dum aliqua forma ipsi congruente Verum obtegit et accessibiliorem reddit.

Verum cum personaliter sumitur considerari potest et debet non uti res, sed uti persona aut saltem ut aliquid a persona non sejunctum, et tunc erit agens, id est ipsummet actionem suam in rationem exercens.

§. 13. His positis accuratissima distinctio inter naturalem et supernaturalem Cognitionem haec erit:

Naturalis Cognitio ea est in qua Ratio tractat Verum tanquam Rem, illudque suo jure ac suis viribus et industria, tamquam rem suam, apprehendere et possidere curat.

Supernaturalis Cognitio ea est in qua Verum agit in Rationem, sive immediate sive mediate, tamquam persona in rem suam, eamque suo modo apprehendere, i.e. illuminare, excolere, ac possidere satagit.

Etiam in illa suppositione

quod Verum personaliter sumptum (Deus) revelet nobis res, quae sunt in ordine naturae, tamen saltem quoad modum erit cognitio supernaturalis: – Ergo omnis Cognitio hoc modo assequuta est supernaturalis.

§. 14. Scientiae nomen eo nunc rectius dabitur naturali cognitioni. Scire enim magis activum est, veluti videre, audire, experiri etc et recte dicitur de ratione agente veluti persona et suis facultatibus rem apprehendente, de eaque jam certa facta.

Fides eodem pacto melius aptabitur Supernaturali Cognitioni. Credere namque magis passivum est, et ex nostra parte refertur ad personam quae in nostram rationem agit: creditur enim personae aliquid affirmanti.

§. 15. Theologia itaque (ut nunc accuratius differentiam ejus a Philosophia definiamus) est scientia innixa Cognitioni supernaturali, seu: est scientia Fidei.

Philosophia e contra est scientia innixa Cognitioni naturali, proindeque est Scientia Scientiae.

Duplici sensu Scientia sumi potest et debet: tanquam simplex Cognitio rerum, formarum, earumque legum etc. a ratione acquisitarum, per oppositionem ad Fidem, et haec est simpliciter Scientia; tum vero tanquam ~~universalium~~ Scientia ~~legum~~ universalium causarum legum relationum, consequentiarum etc ipsius hujus Cognitionis, – et tunc est Scientia Scientiae. Sicut ex alia parte cognitio rerum, veritatum etc. non a ratione ipsa acquisitarum, sed ipsi per Revelationem communicaturum, constituit Fidem, sed Scientia legum, intimiorum causarum, consequentiarum quae in his continentur est Scientia ipsius Fidei. – Ibi simplex Scientia, hic ipsa fides, sunt veluti materia sublimiori scientiae, quae illius materiae est veluti forma.

Et sic et Theologia et Philosophia scientiae sunt, sed tanquam Scientiae e diametro sibi opponuntur.

<u>Theologia est Scientia eorum quae creduntur</u>, i.e. quae procedunt a Vero personaliter agente in Rationem.

<u>Philosophia</u> et contra est <u>Scientia eorum quae sciuntur</u>, i.e. quae acquiruntur a Ratione personaliter agente in Verum.

Et haec est apodictica et adaequata differentia inter utramque scientiam. – Hac causa exposita, nunc Theologiae vale dicimus, ad Philosophiam revertentes, quam veram Scientiam esse nunc argumentis intrinsecis evincemus; – simul tamen advertentes haec argumenta aeque et pro Theologia valere

ita ut Theologia etiam vera Scientia et demonstretur, et dici debeat.

§. 16. Ceterum Philosophia in se ipsa spectata est veri nominis scientia. Habet enim satis superque ea omnia quae ad veram Scientiam constituendam requiruntur.

Quid igitur est Scientia?

Cicero eam describit: „Ea est Scientia, „quae per omnes partes Sapientiae manat „et funditur, - quae rem definit, genera „dispertit, sequentia adjungit, perfecta „concludit, vera et falsa dijudicat." Tusc. Quest. V.

Sed rectius:

Ea est Scientia, quae Rei alicujus aut Veri dat certa principia et definitiones, et per rectas relationes et consequentias devenit ad evidentem rectamque Conclusionem.

Communiter definitur: Cognitio certa et evidens rei.

Haec autem omnia habet Philosophia; sed illa sola (absolutam eam ob hanc causam nuncupare non dubitamus), quae Vero absoluto et se ipsum revelanti ex sua parte respondet.

Cetera Philosophiae systemata cum nec huic ultimae Conditioni satisfaciant, nec habeant quae ad veram scientiam requiruntur, eo ipso falsa non solum censenda, sed publice conclamanda sunt, ac publice tandem damnanda.

Prolegomena.

1. Philosophia est studium Sapientiae.
Duo igitur hic aeque requiruntur: et Studium, et Sapientia.
Et primum quidem requiritur Sapientia, quae est illa, cui studetur. Sapientia autem idem est ac Veritas seu Verum.
Tum vero requiritur Studium. Studium vero non ponitur, nisi ab aliquo, scilicet a mente aliqua, quam hic vocabimus rationem. Alterum igitur quod requiritur est: Ratio
Studium Sapientiae proinde, seu Philosophia, idem est ac Inquisitio Veri a Ratione humana.

2 Sed quid est Verum, et quid est Ratio?
Respondemus in primis generatim:
Verum est id quod cognoscitur.
Ratio est id quod cognoscit.
Igitur duo sunt: Ratio et Verum, alterum scilicet ab altero distinctum.

3. Jam vero non cognoscitur nisi id
α) quod est
β) quodque modo aliquo se revelat.
Proindeque Verum pressius definiri potest: Id quod est, et quod aliquo modo se revelat, ut cognoscatur, id est: manifestat se ita, ut possit cognosci.

4. Ex altera parte id quod cognoscit, i.e. Ratio, non potest cognoscere nisi
α) apprehendat aliquo modo id quod est (sc. Verum),
β) et apprehendat in quantum illud se revelat ad cognoscendum.
Proindeque Ratio pressius definiri potest: Id quod apprehendit illud quod est in quantum se manifestat, in ordine ad cognitionem, idque in se reflectit.

5. Porro Verum manifestat se diversis modis, inter quos maxime inter se distinguuntur: modus naturalis et modus supra naturam.

Philosophi non Christiani hanc distinctionem minime probant, neque nos hic loci contra ipsos evincere eam curabimus. Indicamus tantummodo eam hic tironibus distinctionem, ut eis innuamus discrimen, quod inter Theologiam et Philosophiam intercedit.

Distinctio, quae inter hos duos modos apprehendendi Veri a Ratione humana intercedere dignoscitur, est ipsa distinctio inter Philosophiam ac Theologiam.

Itaque Theologiae et Philosophiae, unum idemque est objectum, quod apprehendunt, scilicet Verum; sed non idem modus apprehendendi. Philosophia assumit Verum manifestans se modo naturali; Theologia vero idem Verum accipit modo supernaturali manifestatum.

6. Apprehensio Veri modo naturali facta vocatur Scientia seu potius Cognitio, et haec est basis atque finis Philosophiae.

Modo supranaturali facta Veri apprehensio vocatur Fides et huic innititur Theologia, ut ad suum finem perveniat.

7. Et Philosophia et Theologia aequo jure dicuntur scientiae.

Philosophia est scientia superstructa Cognitioni naturali, et perducens ad scientiam naturalem.

Theologia est scientia superstructa Fidei supranaturali, et perducens ad scientiam supranaturalem.

Hic dicendum quid sit Scientia.

8. Si Philosophia est Inquisitio Veri a Ratione humana instituta, si deinde Verum est id quod se manifestat, ut cognoscatur, et Ratio, ea quae cognoscit, si tandem ultimus Philosophiae scopus est apprehensio Veri, id est Cognitio seu Scientia, jam patet profecto ante omnia scire nos oportere quomodo Verum se manifestat, et quomodo Ratio cognoscat.

Oportet itaque sciamus, quae sit lex et Veri se manifestantis, et Rationis cognoscentis.

9 Lex porro, sive modus, sive forma, quibus se manifestat Verum debet necessario respondere, ac adaequata esse ei legi, modo vel formae quibus Ratio idem Verum cognoscit. Secus enim neque Verum esset Verum, nempe id quod cognoscitur (non potest enim cognosci); neque Ratio esset Ratio, id est ea quae cognoscit (non posset enim cognoscere).

10. Ex his perspicuum apparet quod Philosophia incipere debeat ab hac quaestione solvenda, nimirum quae tandem sit hujusmodi duplex lex; quae utraque cum sit certe correlativa et sibi vicissim respondens, jure merito potest tanquam unica considerari, vocarique lex Cognitionis.

11. Ut hanc quaestionem solvamus satis erit profecto ut alterutram ejus partem rite exponamus; nam cum altera pars alteri adamussim respondeat, definita una, et altera definiatur, necesse est.

12. Cum vero Ratio ea sit quae nobis congenita inveniatur, ejusque legem quisque non socors apprime in se ipso considerare potest; vel si minime considerare ipse, saltem facile poterit examinare id quod ipsi de Ratione sua dicatur, atque id secum conferendo perspicere: verumne sit ac aequum id quod ipsi de Ratione generatim proponitur; hinc consequens videtur: Philosophiam incipere debere a lege Rationis ipsius recte constituenda.

Prima igitur quaestio Philosophiae haec ubique apparet: quaenam sit lex Rationis? seu quid idem sonat: Quaenam sit lex logica?

13. Cum autem lex omnis debeat aliqua formula exprimi, hinc quaestio hujusmodi potest etiam hoc modo enunciari, scilicet: Quaenam sit formula logica?

4.

Fundamentum totius Philosophiae.

Lex Logica.

14. Cum de lege agatur, juvabit in primis notasse legem generice sumptam esse: rationem et regulam qua quid fit vel faciendum est.

Unde de lege rationis, i.e. de lege logica nobis quaerentibus recte respondebitur generatim: Legem logicam esse: eam Rationem ac Regulam, qua ratio actus suos ponit, i.e. qua cogitat.

15. Exinde oppido sequitur in omni re, cujus legem ignoramus et pernoscere cupimus, non actus ejus omniaque ut ajunt phaenomena observare debere, ut tandem ex his legem ipsam detegamus. Sic itaque rite observantes quid et quomodo agit ratio nostra, poterimus legem ipsius i.e. legem logicam rite etiam percipere.

16. Itaque si ratio nostra probe perscrutetur, evidenter apparet omnes et singulos actus ejus in hoc consistere ut sive cogitans, sive sermocinans, non aliter loquatur, neque aliter cogitet, quam formam conjungendo cum ente.

Sic v.g. Socrates currit, Socrates maximus est Philosophus, τὸ currere, vel τὸ maximum esse Philosophum, forma est aliqua quae conjungitur cum ente quod est Socrates.

Imo quando hoc solum dico: currere aut Philosophus, ne tunc quidem sine ente hujusmodi formam intelligo; nam si a ratione mea sciscitatus fuerim quid tandem sit currere? respondebit mihi aliquem (scilicet ens aliquod) de loco in locum citius se movere, nec hujusmodi motum sine eo quod movetur (scilicet ente suo) ulla ratione concipi posse. Quid rursus fit Philosophus? Responsum habebimus: Aliquis qui philosophatur; forma rursum cum ente conjuncta.

17. Quod ratio revera semper juxta hanc regulam cogitet: formam scilicet conjungendo cum ente, factum est ut ajunt, et quidem factum universale. Satis est appellare ad communem experientiam.

18. Id idem tamen evinci adhuc potest negativa aliqua, quam ita vocant, ratione. Et primo quidem ex eo quod impossibile sit formam puram ipsam solam per se considerare. Quis sane potest cogitare albedinem sine albo, pulchritudinem sine pulchro, motum sine eo quod movetur, et sic porro?

19. Ex alia parte neque ens solum sine forma ullo modo cogitari potest.

Quomodo enim intelligere, vel etiam simpliciter cogitare potuero ens sine ratione, si est rationale; sine vita si est vivens, sine existentia si est existens? Ens vero non existens non datur, nec potest cogitari. Quod idem est ac dicere: ens sine forma non posse cogitari. Existentia enim est forma; forma utique ultima et simplicissima entis, sed vera forma. Si ergo dicimus: Ens sine existentia non posse cogitari, plane dicimus non posse cogitari ens sine forma.

20. Hoc ex eo miram in modum confirmatur quod si Ens sine forma aliqua, ex maxime sine hac simplicissima forma existentiae, cogitari potest, jam prorsus sequeretur

α si sermo esset de multis entibus nullum eorum aliud ab alio distingui posse; nam id quod distinguitur, et quod distinguit, eo ipso est forma aliqua, alia ab alia distincta. Si ergo plura diversa endia sine forma possent cogitari, considerarentur diversa quae non essent diversa, proindeque considerarentur similia quae non sunt similia. Absurdum hoc est.

β Si autem sermo esset de uno ente, nullum in ipso sequeretur esse differentiae aut distinctionis principium, nec proinde posse esse plura entia, quae tamen in rerum natura conspicimus.

Hinc apparet quam absurdum sit Hegelii principium a quo suum systema exorditur. Incipit enim a solo puro Ente, sine ulla forma. At vero et primum et postea loquitur et ratiocinatur ut reliquum hominum genus, per formam scilicet et ens. Quidquid dicit, semper est (nec poterat id non esse) conjunctio formae cum Ente. Unde igitur mutuit formam, et quomodo haec forma ad ens accessit?

Hoc nempe suscitamur: Unde forma? Alterum ex duobus: Aut forma statim ab initio fuit cum Ente (et haec est nostra sententia) et tunc initium Philosophiae non est ens purum, sed cum forma sua; haec autem in prima simplicitate sua non potest esse nisi forma existentiae, incipere ergo debet philosophia ab Ente existente, quod omnino et absolute excludit illud famosum Nihil Hegeli. Aut forma, qua semper hic philosophus utitur aeque ac ceteri mortales conjungendo eam cum ente, aut haec itaque forma, post ens purum, tardius ipsa est nata, sed hoc est tandem abtuidum maximum. Nam quomodo est nata! Dicunt: Ens se duplicat. Absurdissimum! quod est sine distinctione restat necessario sine distinctione. Nam quomodo se distingueret a semet ipso cum sit purum i.e. sine distinctione? Quomodo se duplicat cum ex natura sua sit unum eo ipso quod purum? Quid alterum daret ei motum, cum ipsum motum non habeat, quia eo ipso non esset purum, et est purum? Motus jam ex forma, illud autem purum ens sine ulla est forma. Non potest ergo se duplicare, proindeque non potest producere suam formam, quia jam prius haberet formam quam eam produceret. Unde ergo haec forma?

21. Necessario igitur sicut Ens non datur sine forma ita et Ratio nostra Ens cum forma cogitat et formam cum Ente, et ita quidem, ut per formam cogitet ens. Haec est lex rationis nostrae, et nunc solum inquirendum nobis est in ejus momenta ac reliquas conditiones.

22. Et 1° quidem inquiritur quomodo Ratio apprehendat formam? Respondemus: per ejus actionem. Forma agit juxta suam naturam, et cum omnis forma sit intelligibilis, agit haec ex parte etiam in intellectum. Haec actio formae est id quod intellectum movet, illico ipse reagit, et formam agentem apprehendit.

23. Haec actio formae est veluti forma formae. Ita v.g. sermo est forma cogitationis,

cogitatio vero est forma mentis, sermo itaque est forma hujus formae.

Sed haec forma altera i.e. actio unum est cum illa forma prima, i.e. forma agente, eodem modo (ac) sermo cum cogitatione; conjunctio enim est immediata. Apprehensa ergo hac actione, ratio apprehendit etiam formam ipsam quae agit.

Haec forma apprehensa conjungitur verissime cum mente, et dici potest mens cum illa forma fieri aliquid unum.

Hoc explicare potest quid veri inveniatur in illa antiquorum sententia (praesertim Aristotelis) intellectum fieri unum aliquid cum re intellecta. Ex parte formae verissimum idest. Sed si intelligatur, uti a recentiori philosophia intelligitur, i.e. intellectum nostrum esse unum idemque cum re ipsa (non cum ejus forma intellecta), scilicet cogitationem et existentiam (das Denken und das Seyn) esse unum idemque, perabsurdum id est, et omni veritati prorsus inimicum. – Et haec sententia tam enormis unde sumpserit exordium jam intelligitur; ex illo nimirum primario errore: posse dari et cogitari ens sine forma.

24. Unde primum ut ita dicam punctum hujus legis logicae hoc est: ut ratio apprehendat immediate formam per ejus actionem, et hanc formam secum identificet; sed formam solam (aut potius formam formae)

25. Hinc 2um punctum, quod illius prioris nonnisi consequens est, hoc erit: Rationem apprehendere ens mediate tantum, i.e. per formam.

Ratio itaque nunquam attingit ens ipsum immediate; attingit tamen et scit ipsum, ac de ipso, mediate, videlicet per illam necessariam illationem a forma ad ens, quae constituit hanc legem rationis nostrae ipsius.

Illatio autem haec est necessaria quia connexio ipsa formae cum ente est necessaria.

26. Et hoc 3um punctum est hujus legis, haec nimirum necessitas conjungendi semper et referendi formam ad ens, quae etiam et sanctio est hujusmodi legis. Hanc necessitatem jam vindicavimus. Nunc solum notamus quod sit duplex hujusmodi connexio: in mente nostra, et in re ipsa.

27. Et sane forma rei quam per ejus actionem apprehendimus, dupliciter considerari potest: 1o ea parte qua conjungitur et unum fit cum mente nostra, et 2o ea parte qua conjungitur cum ente suo, et fit unum cum ipso. Illic consideratur exterius, i.e. extra se ipsam ab eadem elicita actio ejusdem, hic intus i.e. in se ipsa ipsius immanentia. Proindeque

α) in mente nostra haec forma rei apprehensa etiamsi vere sit in mente nostra per actionem suam uti diximus, tamen ex hac parte non conjungitur cum suo vero ente, sed cum ente logico, quod a mente nostra cogitatur, et opponitur enti illi vero quod extra nos cum forma vere conjungitur seu potius sub forma invenitur. Est itaque hoc ens logicum veluti punctum aliquod logicum quod supponitur et submittitur illi circumferentiae formali, scilicet illi externae actioni formae afficientis mentem nostram. Haec conjunctio igitur format cum ente in ratione nostra, cum referatur ad ens logicum seu ideale, est et ipsa haec conjunctio ideale, et constituit ideam.

28 β) Extra mentem nostram forma conjungitur cum vero suo ente, et est conjunctio realis, et constituit rem.

29. In utroque casu hujusmodi conjunctio, sive connexio, constituit ipsam veritatem; hic veritatem rei, illic veritatem ideae.

30. Altera alteri adamussim respondet, utraque est necessaria. Hoc jam diximus et probavimus. Secus nec ratio esset ratio, nec verum esset verum. —

31. Atque haec est omnis lex mentis nostrae, scilicet: 1º Actio formae rei i mentem nostram, 2º Apprehensio ipsius formae rei, 3º Necessaria conjunctio hujus formae apprehensae cum ente logico, cui 4º respondet necessario conjunctio realis et ens reale.

Formula logica

32. Hanc legem logicam si aliqua, eaque apta formula exprimere voluerimus, id in primis operae pretium nobis erit ut ejus praecipua momenta et omnia et sola curemus, ne formula nostra in aliquo deficiat neve abundet.

33. Tria sunt omnino hujusmodi momenta quae omnia et sola formulam constituere debebunt, et jam patet, quaenam sint. Sunt enim Forma, et Ens, et eorum mutua relatio, sive Connexio.

34. Si porro consideremus formam primam esse quae in mentem agat, primam quae ab ea apprehendatur, inde sequi illationem, ac tandem ens ultimum venire, procul dubio eundem etiam ordinem in formula servabimus. Proindeque non inepte poterimus legem logicam hac formula enuntiare:

Forma pertinet ad Ens,

quae est ipsa quam quaerimus formula logica.

35. Haec formula est aeque idealis et realis.

Est idealis ex ea parte qua forma a mente apprehenditur, et cum ente ideali conjungitur.

Realis est qua in re ipsa consideatur et conjungitur cum suo vero ente i.e. cum ente reali.

36. Haec formula necessaria est quemadmodum ipsa etiam lex logica quam exprimit.

Necessaria autem est eo sensu, quod id quod eadem formula continetur, et ipsum est necessarium. Necessarium est enim ut forma pertineat ad Ens aliquod.

Haec autem necessitas eadem est etiam in rebus contingentibus; nam etiam in contingentibus fieri non potest ut forma non pertineat ad ens aliquod. Valet etiam pro ente necessario et absoluto, nam et in ipso forma simul cum Ente existit, ad ipsumque pertinet.

37. Proindeque haec formula est universalis; – nam nihil est quod ipsa non contineat, nec praeter ipsam aliquid cogitari potest.

38. Haec formula est evidens, imo evidentissima, et totius evidentiae fundamentum ac ratio. Id vero per se patet, cum haec formula sit ratio ipsa; et nisi foret evidens rationi, semet ipsam ratio ignoraret.

39. Nunc alia ex parte eandem formulam spectare debemus. Cum enim tria momenta eam constituant, possunt diverso ordine assumi. Qui igitur a forma ad ens progrediamur, possumus nunc ab ente ad formam descendere, inversum scilicet ordinem sequuti. Itaque qui prius dicebamus formam pertinere ad Ens, dicemus nunc aliquid tale ac si: Ens possideret formam, vel etiam, quod Ens habet formam.

40. Verum aliquid amplius dicere debemus. Etenim quando diximus prius formam pertinere ad Ens, eò <u>pertinere</u> cum significaret necessariam illationem a forma ad Ens, significabat etiam perinde ac <u>proprium esse</u>, <u>ab ente pendere</u>, <u>ab ente proficisci</u>. Secus enim non fuisset

necessaria illatio. Proindeque si inverso nunc ordine nostram formulam exprimere decrevimus, hanc debemus profectionem, et uti dicam generationem formae ab ente in eadem exprimere. Poterit itaque haec inversa formula non inepte exprimi dicendo quod: Ens causat formam; verum melius adhuc (verbum enim causare exclusivam quamdam praesefert significationem) ita enuntiari debebit, ut dicatur:

Ens producit formam.

41. Haec formula inversa rationis nostrae evidens est et ipsa, universalis, eademque et idealis et realis; non tamen ex omni parte necessaria, eo scilicet sensu, ut ens necessario generet formam; potest enim non generare, obstaculo aliquo interposito, si de ente illo loquamur quod non est absolutum, id est quod non statim et simul habet totam suam formam, sed ab ente suo ad formam suam per aliquam evolutionem pervenit.

In hoc itaque est differentia inter primam et hanc alteram formulam, quod prior illa exprimat veritatem ex omni parte necessariam, nam necessarium omnino est ut ubi est forma, sit et ens; altera vero id non faciat, nam est necessarium ut ubi sit ens, statim tota ejus forma pariter adsit.

Diximus esse necessarium ut ibi est forma, sit etiam ens. Verum est dari formas, vel quas phantasia nostra, insciis nobis, ipsa fingit; attamen et istae formae innituntur enti alicui, videlicet menti nostrae. Sunt ipsae semper aliqua imago et forma mentis nostrae. Nam mens nostra, ut pote forma entis superioris, continet in se formas inferiores. ~~Quamodo porro~~. Forma enim superior virtualiter continet in se omnes inferiores. Quomodo porro debet distinguere mens nostra alias illas

formas a semet-ipsa, hoc postea in Logica explicabimus; quod vero hic notamus quodque jam ut Verum evidenter apparet, id est quod diximus: Ubi est forma ibi et ens esse. Veritas est ex natura sua est necessaria. —

Quod autem inversa propositio: Ens generat formam, non contineat veritatem ex omni parte necessariam, sed à certis conditionibus dependentem, id neque indiget probatione. Experientia quotidiana, ex nobis metipsis, et ex rerum natura desumpta, sine ulla ambage rem comprobat. In semine arboris, v.g. continetur utique arboris ens, non continetur forma. Ens illud positis opportunis conditionibus paulatim in formam evolvitur. Jam vero quot arborum semina perierunt ac pereunt! Quot igitur in illis solis inveniatur entium vera specimina, quae nunquam formas generarunt! Sic porro dic de ceteris similibus. Non est ergo necessarium ut Ens generet formam. Attamen licet conditionata, veritas haec posita conditione, verissima ostenditur, et necessaria tunc etiam ipsa.

42. Attamen si spectatur non factum ipsum (an scilicet forma generetur ab ente in se ipsa et veritate), sed potentia entis, et quae ex hac potentia consequitur propensio entis, et exigentia intrinseca ut formam suam revera generet, dici tunc utique potest semper verum esse quod: Ens generet formam. Nam Ens etiamsi semper permaneret impeditum ne id faciat, semper tamen, potentia hac praeditum, conabitur ut ita dicam formam suam generare, et posita conditione illico generabit.

43. Quamobrem dici potest formulam istam: Ens generat formam, realiter tantum non esse necessariam, sed idealiter et ipsa est necessaria.

Cum vero hic agatur de lege et de formula logica, seu quod idem est, ideali, proindeque omnia idealiter sumenda sunt, recte igitur poni potest hanc formulam: Ens generat formam, simpliciter esse necessarium.

44. Quod eo vel magis dici potest et debet, quod vox isthaec: generare, non dicat necessario simultaneam generationem, sed prorsus utramque enuntiat: et simultaneam nimirum et subsequentem.

45. Proindeque haec formula: Ens generat formam, ita idealiter sumpta uti hic debet sumi, omnino, id est absolute et necessario est vera, sicut et illa prima formula.

46. Tandem unus adhuc, id est tertius adest modus ejusdem formulae considerandae, non jam a forma ad ens progrediendo, neque ab ente descendendo ad formam, uti hucusque facimus; sed ipsam eorum conjunctionem, illudque momentum prae oculis habendo, in quo utraque sunt unum.

47. Hic consideratur forma non in quantum pertinet ad ens, sed in quantum illud aequat et est unum cum ipso, et ens non consideratur in quantum generat formam, sed in quantum cum illa aequatur et est etiam unum cum ipsa. Quare satis apte haec formula poterit sub hoc respectu ita enuntiari

Forma et Ens sunt unum,

et vice versa

Ens et Forma sunt unum.

48. Haec formula, eodem pacto ac illa secunda idealiter vera semper ac necessaria est, non tamen realiter. Praeterea aequo jure cum illis duabus evidens justa atque universalis esse intelligitur.

Principia fundamentalia Philosophiae.

49. Formulae tres istae, seu potius haec formula logica unica quoad essentiam, et triplex quoad modum, exprimit triplex principium cui innititur, cum universa ratio, tunc universa scientia, et generat tres analogas logicas operationes quibus eadem scientia omnis et operatur et perficitur. Sunt autem tria haec principia, atque optime dici possunt principia primordialia rationis nostrae, et principia fundamentalia totius Philosophiae.

50 Primum principium est *principium Proprii*, et hoc exprimitur nostra prima formula. Quando quidem haec formula ex se ipsa evidens sit, jam evidenter et hoc principium proprii in ipsa et ex ipsa apparet. Quod enim forma pertineat ad Ens, hoc intelligi non posset nisi in eodem actu hoc *principium Proprii*, i.e. illa ratio quae conjungit formam cum ente ita ut aliud ad aliud pertineat una simul intelligeretur. Hinc fit, ut quemadmodum haec formula nullo alio indigeat ut probetur et evidens fiat, ita neque hoc principium. Et ideo est verum principium, a quo ratio incipit, et quod tunc habet, quando primum intellexit formam pertinere ad ens. Formula itaque haec nostra pronuntians *Formam pertinere ad Ens* ipsa sola quando intelligitur continet in se et exprimit principium *Proprii*.

51. Aliud principium est causalitatis, et hoc exprimit secunda formula nostra. Causa enim et effectus generalissima ratione considerando habent ad sese invicem veluti ens ad formam. Effectus enim refert in se aliquam semper similitudinem causae sive adaequatam, sive inadaequatam, est semper veluti ejus forma, sive essentialis, sive accidentalis. Quando ergo dicimus: *Ens generat formam*, exprimimus generalissima ratione relationem quae intercedit inter causam et effectum, et quidem rationem generalissimam,

consideratam in suo logico fundamento, qualis est formula logica. Formula haec itaque quae sic exprimit ipsam rationem causalitatis, continet in se profecto atque exprimit ipsum principium causalitatis.

52. Tandem tertium principium est Identitatis, et hoc exprimit tertia formula nostra. Siqua enim vera datur identitas, nulla certe alia dari potest nisi forma et entis quando secum aequantur. Id enim quod sibi identicum, debet perfecte secum aequari et esse omnino unum, id autem non potest fieri nisi formam inter atque ens ejus. Jam vero fit hoc oppido quando verificatur tertia nostra formula, pronuntians Ens et formam esse unum. Proindeque haec formula continet et exprimit principium identitatis. —

Methodus Philosophiae.

53. Haec sunt tria principia scientiae. Sequuntur tres operationes.

Et prima quidem operatio mentis humanae qua perficitur scientia est plane Inductio. A noto ad ignotum proceditur: a forma scilicet ad ens. Atque hunc processum exprimit evidenter prima nostra formula.

54. Secunda operatio est inversa, quae dicitur Deductio. A causa jam cognita descendit ad omnes effectus; est itaque idem ac descendere ab ente ad formam. Jam vero hanc descensionem, hunc scilicet alterum processum continet in se et exprimit non minus evidenter altera nostra formula.

55. Tertia operatio est simultanea et dicitur recte Aequatio. Confert scilicet ac aequat formam notam cum ente jam et ipso noto, vel, per ulteriorem extensionem, confert formam etiam cum forma, et de earum identitate pronuntiat. Atque hunc ultimum processum pari etiam evidentia nostra tertia exprimit formula.

Systema Philosophiae:

56. Finis ille sublimis Philosophiae quem e limine salutavimus, Verum nempe ipsum quae etiam ipse est sapientia, licet in se unus omnino sit; tamen juxta legem rationis, quam hucusque explorabamus, exploratamque jam habemus, trina ut ita dicam facie nobis obversatur.

Jam vidimus: modos quo se manifestat Verum, et modus quo Ratio illud apprehendit, correlativa inter se esse adamussim sibi respondere. - nec posse aliter fieri. Unde dici etiam potest: legem cogitandi esse legem existendi, et viceversa. Ex quo sequitur Verum nobis ad cognitionem tria momenta praesentare: Formam, Ens et Proprium sive unum; juxta illa eadem momenta Rationis, sub quibus Verum apprehendit.

57. Ex altera parte eo ipso quod ratio triplicem modum servat in agendo, necessario etiam triplici principio innititur, et triplicem viam sequitur in eo studio quod Vero impendit, uti etiam exploratum habemus.

58. Sive igitur ex parte Rationis, sive ex parte Veri ipsius, rationem et ordinem quaeramus quo universum studium Philosophiae debeamus componere, dirigere atque perficere; sive, quod idem est, quomodo debeamus Systema Philosophiae rite construere omnibusque illud numeris absolvere, statim nobis occurrit totam Philosophiae molem in tria illa maxime momenta suapte sponte ac necessario dispertiri.

Tres itaque erunt praecipuae Philosophiae partes

59. I^a^ tractabit de Forma. Haec tractatio philosophica sumet omnes formas

rerum, primam secundas ac ultimam, expendet legem mentis in cogitandis rebus per formas, deinde leges rerum ipsarum in quantum cogitantur, seu in quantum sunt ideales, ac demum conjunctionem ac nexum illum necessarium qui intercedit inter mentem cogitantem & res cogitatas, atque hoc modo ponet fundamentum ac Criterium certitudinis.

Haec pars Philosophiae, utpote tractemus de legibus logicis vocatur Logica. Nos religioni nobis ducimus hoc nomen, longo saeculorum usu sacratum, huic studio philosophico sancte etiam conservare

Attamen cum nos Logicam ultra ejus consuetos limites extendamus, uti statim clarius exponetur, nomen etiam aptius aliquod exquirendum nobis erat. Ideoque cum omnis haec tractatio de Forma sit seu de formis, rite putamus vocari eam posse Ideosophiam, nempe Sapientiam quae Formam pro objecto habet. —

Alioqui vocari etiam posset Logica absoluta; nam tractatio haec nostra studium Logicae omnibus numeris absolvit.

60. IIa Pars Philosophiae tractabit de Ente. Haec tractatio philosophica sumet omnia entia, scilicet res existentes, expendet leges formarum in existendo, deinde leges entium in quantum existunt, ac deinde ipsam existentiam singulorum. Tractatio porro haec in totidem alias tractationes dispertietur quot genera entium invenientur.

Haec pars philosophiae in plures hucusque dividebatur partes, maxime vero in Physicam et Metaphysicam, quarum prima jam vix, aut ne vix quidem, inter philosophicas disciplinas computabatur.

Physica itaque tractabat de legibus materiae et de entibus ex materia compactis.

Metaphysica versabatur in studio entium supra materiae conditiones positorum. Altera pars ejus vocabatur

Theodicea quae de Deo disputabat;

Anthropologia altera, quae scilicet disserebat de homine, quae cum maxime de anima ejus inquirebat, pressius etiam appellabatur Psychologia

Cosmogonia nuncupata est ea pars veluti mixta inter Physicam ac Metaphysicam, quae de mundo tractabat, ejusque considerabat leges universales, et ordinem ad Deum.

Nos omnia ut putamus a priori, ad normam formulae nostrae collocantes, in primis omnes has disciplinas philosophicas, utpote de entibus tractantes, simul connectentes, ad unam principalem disciplinam reducimus, quae secundum locum in Philosophia occupat.

Et quia agit de entibus recte appellari ex hoc poterit Ontosophia, scilicet Sapientia, quae Ens pro objecto habet.

Singulas vero illas disciplinas de quibus monuimus, tum demum suis locis aptabimus, quando ipsum Ontosophiae studium aggrediemur.

61. III^a ~~tandem~~ Philosophiae pars tractabit de Unitate Formae cum Ente et Entis cum Forma.

Haec unitas in quantum necessaria non potest esse objectum hujus distinctae tractationis; nam tunc in prioribus illis jam est inclusa. Et sane necessaria unitas formae cum ente id efficit, ut cognita forma

jam necessario una cum ipsa habeamus & ens, et vicissim cognito ente habeamus formam. Tunc sufficit scientia formae et scientia entis, ut omnia de hujusmodi ente sciamus.

At in illis entibus, in quibus haec unio formae cum ente necessaria non est, i.e. in quibus unio hujusmodi dependet a causa aliqua libera, speciali scientia opus est, ut haec unio, quam peragere vel non peragere ens liberum supponitur, rite peragi possit, proindeque quomodo peragenda sit probe intelligatur ac sciatur.

In hac igitur tractatione sumuntur entia rationalia, praesertim vero homo, exponitur ejus finis quae est illa forma praestantissima ad quam conditus est, media quibus ad eundem finem movetur, leges quibus in hac via singuli ducuntur, jus publicum quo reguntur omnes.

Scientia haec dicitur communiter Ethica, sive scientia morum.

Nos eam vocabimus Enoticosophiam, id est scientiam ac sapientiam quae Unionem habet pro fine ac objecto, unionem scilicet entis rationalis, qualis est homo, cum sua ultima perfectissima forma.

62. Haec est principalis Philosophiae partitio, quae ita sumpta non amplius simplex Philosophia, sed jure merito Sophia vocanda erit. Placet autem hujusmodi partitionem ejus parvulo schemate exhibere, quod sequens esse potest:

Sophia

I Ideosophia.	II Ontosophia.	III Enoticosophia
(Logica absoluta)	(Psychica et Metaphysica absoluta)	(Ethica absoluta)